

ROZPORZĄDZENIA URZĘDOWE ŁOMŻYŃSKIEJ KURII DIECEZJALNEJ.

Nr 1.

Łomża, dnia 1 stycznia 1938 r.

Rocznik XII.

TREŚĆ:

1. Primum Concilium plenarium Polonicum.

PRIMUM CONCILIUM PLENARIUM POLONICUM

ANNO DOMINI MCMXXXVI
CZĘSTOCHOVIAE HABITUM

FRANCISCO S. R. E. CARD. MARMAGGI
SUMMI PONTIFICIS PII PP. XI
LEGATO APOSTOLICO
PRAESIDE

DECRETA



P. 3104 amob

DECRETUM RECOGNITIONIS ET APPROBATIONIS

Romae, die 19 junii 1937

Emo ac Rev.mo Domino
Dno Card. Francisco Marmaggi
Legato Apostolico

PRIMI CONCILII PLENARII POLONICI.

Eme ac Rev.me Domine Mi Obsme,

Quum primum Concilium plenarium Polonicum, cui Eminentia Vestra tamquam Legatus Apostolicus Sanctitatis Suae scite ac solerter praefuit, ad felicem exitum, Deo favente, perductum fuerit anno millesimo nongentesimo trigesimo sexto exeunte, idemque pro canonica revisione ac recognitione, juxta praescriptum canonis 291, par. 1 Codicis Iuris Canonici, ipsa Eminentia Vestra iudicio huius Sacrae Congregationis Concilii submiserit, eiusdem Concilii plenarii acta et decreta in plenariis comitiis dierum 8 et 15 maii 1937 ab Eminentissimis huius Sacrae Congregationis Patribus, interveniente quoque Emo Card. Hlond, Archiepiscopo Gnesnensi et Posnaniensi, diligenti, quo par erat, instituto examine, perpensa fuerunt; atque nonnullis haud magni momenti tantummodo exceptis, non solum ad normam vigentis Codicis canonici reperta et recognita sunt, sed etiam digna habita quae promeritis laudibus honestarentur.

Opus quidem valde laudandum, quod Eminentissimi Archiepiscopi Varsaviensis necnon Gnesnensis et Posnaniensis aliique Episcopi et Ordinarii Poloniae, Eminentia Vestra praeside, alacri libentique animo aggressi sunt, quodque constitutionibus, quae fidei catholicae provehendae, morum disciplinae firmandae, cultui divino augendo bonisque ecclesiasticis tuendis, quam maxime conferunt, salutis animarum zelo, non minus ac sacrorum canonum peritia perfecerunt.

Faxit itaque Deus Omnipotens, ut acta et decreta huius Concilii plenarii, quae peculiaribus Poloniae necessitatibus accomodata praeterea videntur, in majus cleri populique ipsius nationis bonum ac profectum sint cessura!

Quum vero haec SS.mus Dominus Noster PIUS Divina Providentia PP. XI, cui relata sunt in Audientia diei 23 maii 1937, confirmare et approbare dignatus sit atque de iisdem vehementer sit

gavisus, aequum sane est, ut Eminentia Vestra, memoratos Sacrorum Antistites Polonicos de omnibus certiores reddat, insimulque acta laudati Concilii plenarii Polonici, habita ratione animadversionum et emendationum quae adnectuntur, ad normam canonis 291 in vulgus edenda ac promulganda curet.

Dum interim Eminentiae Vestrae manus humillime deosculor, impensi animi studio et obsequio me profiteor

Eminentiae Vestrae
hummum devmum obmum Servum verum

(—) J. Card. Serafini
praefectum.

(—) J. Bruno, Secretarius.

PROMULGATIONIS INTIMATIO

Romae, die 29 junii an. 1937

Emo ac Rev.mo Domino
D. Cardinali AUGUSTO HLOND
Archiepiscopo Gnesnen. et Posnanien.
Poloniae Primati.

Eme ac Rev.me Domine Mi Obsme,

Datis mihi litteris die 19 huius mensis junii, quae heic adponuntur, Eminentissimus Dominus Julius Cardinalis Serafini, Sacrae Concilii Congregationi Praefectus, certiore me reddere studebat Sanctissimum Dominum Nostrum Pium PP. XI f. r., recognitionem Actorum primi Concilii Plenarii Polonici, a S. Concilii Congregatione factam, confirmare et adprobare dignatum esse in audientia diei 23 maii huius anni 1937, promeritas una laudes tribuentem Venerabilibus eiusdem Concilii Polonici Patribus, potissimum S. R. E. Cardinalibus, Archiepiscopo Varsaviensi et Archiepiscopo Gnesnensi et Posnaniensi, de tam feliciter in emolumentum Catholicae Ecclesiae inter vos exantlato labore.

Cum autem officium sit mihi demandatum haec renuntiandi simulque curandi, ut Acta laudati Plenarii Concilii, habita ratione animadversionum et emendationum quae adnectuntur, ad normam Can. 291 in vulgus edantur atque promulgentur, honori et gaudio mihi tribuo Eminentiam Tuam opportune deputare fraterneque rogare, qua Praesidem emeritum Commissionis pro apparanda sancta

eiusmodi Synodo, ut postremum hoc in Se munus suscipere, idque, consiliis cum Ven. isto Episcopatu conlatis, rite perficere velit.

Quo praestito, nihil iam me manet nisi ut, grates referens Vobiscum quam plurimas Deo Optimo Maximo de tam singulari Eius beneficio atque Vobismetipsis iterum atque iterum pleno gratulans animo, manus Tuas humillime deosculer meque effusa in Te charitate profitear

Eminentiae Tuae Reverendissimae
hummum devmum et obmum Servum verum

(—) F. Card. Marmaggi

Legatum a latere Suae Sanctitatis
ad I Concilium Plen. Polonicum.

PROMULGATIONIS DECRETUM

Reipublicae Polonae Episcopi, ad gnesnensem S. Adalberti tumbam anno 1928 coadunati, munus pascendi agnos et oves prae oculis habentes, consilium inierunt parandi Concilii Plenarii, quod aetatis nostrae malis et necessitatibus salutaria pro sua ratione adhiberet remedia. Exinde accurato examine perpendentes discrimen, in quo omnia sacra in praesens tempus versantur, Praesules, in plures sectiones distincti, omni studio ea dirimere et definire curabant, quae in Republica restituta fidei incrementum et christianos mores tutarentur, abusus corrigerent et congruam inducerent disciplinae ecclesiasticae unitatem. Consiliis saepius collatis, exquisita Capitulum et Facultatum catholicarum sententia, accitis in laboris partem clericis theologiae et iuris canonici peritis, necnon habita opinione gravium e coetu laico personarum, post sollicitudines per octo annos assidue protractas Antistites opinati sunt celebrandi Concilii Plenarii decreta satis digesta esse et ad ulteriora posse procedi. De quibus Summus Pontifex officiosis Praesulum litteris certior factus, Eminentissimum Franciscum Cardinalem Marmaggi suum Legatum a latere ad Concilium Plenarium convocandum eique praesidendum designare dignatus est. Sic demum diebus 26 et 27 mensis augusti anni proxime elapsi in Claromontano Monasterio, praeside eodem Eminentissimo Sanctitatis Suae Legato a latere, Primum Concilium Plenarium Polonicum feliciter coactum et

absolutum est, cuius decreta nuper a S. Congregatione Concilii non sine laudativa mentione recognita et deinde a Beatissimo Pio Papa XI libenti animo approbata sunt.

Quae cum ita sint, Nos Reipublicae Polonae Episcopi trium rituum, in extraordinaria Conferentia Varsaviae congregati, habitatione animadversionum et emendationum, quae a S. Congregatione Concilii in laudati Concilii Plenarii actis perfectae sunt, praesenti edicto decreta Primi Concilii Plenarii Polonici, uti in adnexo exemplari typis impresso continentur, ad normam can. 291 promulgamus et promulgata sancimus. Porro Concilii Plenarii decreta vim obligandi non nisi expletis ab hac promulgatione sex mensibus, id est die decima sexta mensis junii anni 1938 obtinebunt, ex quo ab omnibus, ad quos spectant, religiose erunt servanda et urgenda.

Quae venerabili clero saeculari et regulari necnon fidelibus dilectis prae nostro munere intimantes, a Beatissima Virgine Maria, sub cuius regalibus auspiciis Concilium Plenarium habitum est, orantes optamus, ut mediatione Sua decretorum tutam reddat observantiam uberemque efficacitatem.

Datum Varsaviae ex Conferentia Episcoporum Reipublicae Polonae, decimo octavo Kalendas januarias, die octava Conceptionis Immaculatae Beatae Mariae Virginis, anno Domini millesimo nonagesimo trigesimo septimo.

- | | |
|--|--|
| † <i>Alexander Cardinalis Kakowski</i> —
— Archiepiscopus Varsaviensis. | † <i>Augustus Cardinalis Hlond</i> —
— Archiepiscopus Gnesnensis et
Posnaniensis, Primas Poloniae. |
| † <i>Andreas Szeptycki</i> — Archiepiscopus Leopoliensis Ruthenorum. | † <i>Josephus Teodorowicz</i> — Archiepiscopus Leopoliensis Armenorum. |
| † <i>Boleslaus Twardowski</i> — Archiepiscopus Leopoliensis Latinorum. | † <i>Adamus Stephanus Sapiha</i> —
— Archiepiscopus Cracoviensis. |
| † <i>Romualdus Jalbrzykowski</i> — Archiepiscopus Vilmensis. | † <i>Antonius Julianus Nowowiejski</i> —
— Archiepiscopus, Episcopus Plocensis. |
| † <i>Gregorius Chomyszyn</i> — Episcopus Stanislaopolitanus Ruthenorum. | † <i>Josaphat Josephus Kocyłowski</i> —
— Episcopus Przemysliensis Ruthenorum. |
| † <i>Marianus Leo Fulman</i> — Episcopus Lublinensis. | † <i>Henricus Ignatius Przeździecki</i> —
— Episcopus Siedlcensis. |

- | | |
|---|--|
| † <i>Adolphus Szelażek</i> — Episcopus Luceoriensis. | † <i>Theodorus Kubina</i> — Episcopus Częstochoviensis. |
| † <i>Stanislaus Kostka Łukomski</i> — Episcopus Łomżensis. | † <i>Stanislaus Okoniewski</i> — Episcopus Culmensis. |
| † <i>Carolus Radoński</i> — Episcopus Vladislaviensis. | † <i>Vladimirus Bronislaus Jasiński</i> — Episcopus Lodzensis. |
| † <i>Stanislaus Adamski</i> — Episcopus Katovicensis. | † <i>Franciscus Lisowski</i> — Episcopus Tarnoviensis. |
| † <i>Josephus Gawlina</i> — Episcopus Castrensis. | † <i>Casimirus Bukraba</i> — Episcopus Pinskensis. |
| † <i>Franciscus Barda</i> — Episcopus Przemysliensis Latinorum. | † <i>Joannes Lorek</i> — Administrator Apostolicus Sandomiriensis. |
| † <i>Franciscus Sonik</i> — Vicarius Capitularis Kielcensis. | † <i>Jacobus Medwecki</i> — Administrator Apostolicus Lemkorum. |

DECRETA

Caput I

Normae generales.

Decr. 1. § 1. Decreta huius Concilii Plenarii obligant clerum populumque fidelem ritus latini in Polonia.

§ 2. Clerum populumque aliorum rituum illa obligant decreta, quae ex ipsa rei natura omnes ritus afficiunt vel ad Concordati executionem referuntur.

Decr. 2. Decreta Concilii Plenarii, a Sede Apostolica recognita, vim obligandi habebunt expletis sex mensibus a die, quo a Conferentia Episcoporum Reipublicae Poloniae promulgata fuerint.

Decr. 3. § 1. Vigentes in praesens laudabiles consuetudines locales vim suam retinent ad normam Codicis Juris Canonici, nisi per decreta huius Concilii expresse abrogatae sint.

§ 2. Singulae praescriptiones dioecesanae, quae contrariae sint decretis huius Concilii, abrogatae censentur.

§ 3. Harum autem praescriptionum dioecesanarum elenchum singuli Episcopi¹⁾ in sua quisque dioecesi publicare curabunt.

Decr. 4. Dubia circa decreta huius Concilii Plenarii in casibus particularibus singuli Episcopi resolvere valent.

Caput II

De clericis in genere.

Decr. 5. De sanctiore clericorum vita solliciti, Patres Concilii Plenarii ipsos enixe hortantur, ut non solum subsidiis a Codice Juris Canonici ad hunc finem sibi commendatis utantur, sed etiam lectioni Sacrae Scripturae ac librorum et periodicorum de re ascetica assidue incumbant, necnon nomen dent alicui associationi sacerdotali, v. g. Unioni Apostolicae, Associationi perseverantiae sacerdotalis, Confoederationi sanctitatis sacerdotalis, Unioni sacerdotum ab adoratione.

Decr. 6. Omnes ac singuli sacerdotes obligatione tenentur tertio saltem quovis anno spiritualibus exercitiis vacandi iuxta Epi-

¹⁾ Nomine „Episcopi” in decretis huius Concilii Plenarii venit, quicumque ad normam praescriptorum Codicis Juris Canonici dioecesi praefectus est.

scopi normas; eisque commendatur ut exercitia huiusmodi quotannis peragant et quovis mense diem unum recollectioni spiritus impendant.

Decr. 7. § 1. Sacerdotes obligatione tenentur, secundum sui Episcopi praescripta, subnotandi legendique commentarium officiale dioecesanum necnon interessendi peculiaribus cursibus theologiacis, pastoralibus, catecheticis aliisque eius generis.

§ 2. Concilium Plenarium sacerdotibus enixe commendat lectionem librorum et periodicorum, in quibus disciplinae ecclesiasticae tractantur.

Decr. 8. § 1. Sacerdotes sive saeculares sive religiosi, qui curam animarum gerunt aut doctrinam christianam in scholis tradunt, conferentiis decanalibus interesse tenentur, ad normam can. 131 § 3 C. J. C.

§ 2. Praescripto, de quo supra, omnium rituum sacerdotes eidem Episcopo subditi obstringuntur.

Decr. 9. Clerici tam saeculares, quam religiosi et militares, unitatis Ecclesiae Christi memores, et fraternam inter se foveant consuetudinem et mutuo se iuvent auxilio.

Decr. 10. Clerici prohibentur: a) convivia sumptuosa apparare, b) oblectamentorum loca frequentare, in quibus clericos adesse scandalo esse possit, c) balneis et littore uti, quae usui personarum utriusque sexus promiscue inserviunt.

Decr. 11. § 1. Quod ad habitum ecclesiasticum, clerici leges dioecesananas servare tenentur.

§ 2. Habitu mere saeculari clericis neque in propria neque in aliena dioecesi sub poenis ecclesiasticis uti licet, exceptis casibus ab Episcopo expresse probatis.

§ 3. Sacerdotes a Sede Apostolica aliqua dignitate ornati, necnon canonici ecclesiae cathedralis vel collegiatae, obligatione tenentur accurate servandi praescripta circa habitum suae dignitatis proprium.

§ 4. Omnes clerici tonsuram gestent.

Decr. 12. Quae canone 133 praescribuntur, Concilium Plenarium strictissime urget¹⁾.

¹⁾ Can. 133 § 1. Caveant clerici, ne mulieres, de quibus suspicio esse possit, apud se retineant aut quoquo modo frequentent.

§ 2. Eisdem licet cum illis tantum mulieribus cohabitare, in quibus naturale foedus nihil mali permittit suspicari, quales sunt mater, soror, amita et hu-

Decr. 13. Sedulo curandum, ut omnes sacerdotes, qui in cura animarum aut in scholis occupantur, in domo paroeciali vel in alia domo usui clericorum designata habitent et vitam communem gerant.

Decr. 14. Sacerdotes prohibentur: a) sub poenis ecclesiasticis cooperari cum associationibus Ecclesiae infestis, b) fovere familiaritatem cum apostatis a fide cumque iis, qui fidem aut Ecclesiam insectantur vel in coniugio illegitimo vivunt.

Decr. 15. Clericis tam saecularibus quam religiosis Concilium praecipit, ut praescripta can. 140 et 142 accurate servent¹⁾.

Decr. 16. Episcopi possunt ordinationes disciplinares, quas circa clericorum habitationem externamque agendi rationem in sua dioecesi ediderint, censuris et poenis munire, quibus extranei quoque clerici subiiciantur.

Decr. 17. Sine licentia tum proprii Episcopi tum Episcopi loci, in quo electio facienda est, sacerdotes tam saeculares quam religiosi non solum munus senatorum aut oratorum legibus ferendis, quos deputatos vocant²⁾, sed ne officia quidem publica acceptent aut in deputatos ad magistratus autonomicos eligi se sinant.

Decr. 18. Clericis sive saecularibus sive religiosis sine licentia proprii Ordinarii nefas est: a) syngrapham pro se vel pro aliis conscribere, b) alienam pecuniam in depositum accipere, c) administrationem cuiuslibet arcae non ecclesiasticae gerere, d) in mensis argentariis, societatibus commercialibus aliisque huiusmodi administrandis partem habere.

iusmodi, aut a quibus spectata morum honestas, cum proveciore aetate coniuncta, omnem suspicionem amoveat.

§ 3. Iudicium, an retinere vel frequentare mulieres, etiam illas in quas communiter suspicio non cadit, in peculiari aliquo casu scandalo esse possit aut incontinentiae afferre periculum, ad Ordinarium loci pertinet, cuius est clericos ab hac retentione vel frequentatione prohibere.

§ 4. Contumaces praesumuntur concubinari.

¹⁾ Can. 140. Spectaculis, choreis et pompis, quae eos dedecent, vel quibus clericos interesse scandalo sit, praesertim in publicis theatris, ne intersint.

Can. 142. Prohibentur clerici per se vel per alios negotiationem aut mercaturam exercere sive in propriam sive in aliorum utilitatem.

²⁾ Can. 139 § 4. Senatorum aut oratorum legibus ferendis, quos deputatos vocant, munus ne sollicitent neve acceptent sine licentia Sanctae Sedis in locis, ubi pontificia prohibitio intercesserit; idem ne attentent aliis in locis sine licentia tum sui Ordinarii, tum Ordinarii loci, in quo electio facienda est.

Decr. 19. § 1. Quilibet sacerdos saecularis tenetur testamentum ad normam iuris civilis conficere illudque apud Curiam dioecesanam deponere vel eam saltem de condito testamento certiore reddere.

§ 2. Testamentum conficientes memores sint praecipue causarum piarum et ecclesiasticarum, beneficiarii autem rationem habeant eorum, quae can. 1301 § 1 et 1473 praescribuntur¹⁾.

Decr. 20. § 1. Ut clericis aegrotis, senibus, ad munera obeunda iam non idoneis aliisque huiusmodi consulatur, erigantur domus vel arcae emeritorum, sanatoria, hospitalia et alia huius generis instituta.

§ 2. Hunc in finem singuli Episcopi pro viribus curabunt, ut universus clerus saecularis moderatam taxam quotannis solvat.

Caput III

De clericis in specie.

A. De Romano Pontifice.

Decr. 21. In omnibus ac singulis paroeciis celebrabitur quotannis ob anniversarium coronationis Summi Pontificis „solemnitas papalis” secundum praescripta pro dioecesi edita.

Decr. 22. Omnes Episcopi curent, ut litterae encyclicae Summorum Pontificum ac maioris momenti documenta et praescripta Sanctae Sedis non in clericorum tantum sed etiam laicorum notitiam perferantur per conciones, praelectiones et ephemerides.

Decr. 23. In omnibus ac singulis ecclesiis et oratoriis publicis colligatur secundum instructiones, quas Episcopus pro sua quisque dioecesi dederit, obolus S. Petri.

B. De Episcopis.

Decr. 24. Tam clerici quam laici debitam reverentiam et oboedientiam praestent suis Episcopis, tamquam legitimis succes-

¹⁾ Can. 1301 § 1. S. R. E. Cardinalis, Episcopus residentialis alique clerici beneficiarii obligatione tenentur curandi testamento vel alio instrumento in forma iuris civilis valido ut canonica praescripta, de quibus in can. 1298—1300, debitum effectum etiam in foro civili sortiantur.

Can. 1473. Etsi beneficiarius alia bona non beneficialia habeat, libere uti frui potest fructibus beneficialibus qui ad eius honestam sustentationem sint necessarii; obligatione autem tenetur impendendi superfluos pro pauperibus aliis causis, salvo praescripto can. 239 § 1 n. 19.

soribus Apostolorum et pastoribus Ecclesiae a Spiritu Sancto constitutis.

Decr. 25. Clerici populusque congruam notitiam habere studeant litterarum pastoralium atque ordinationum sui Episcopi, quae ipsos respiciunt.

Decr. 26. § 1. Omnium rituum Episcopi quotannis in Conferentiam ordinariam convenient; Conferentiae extraordinariae pro necessitate celebrabuntur.

§ 2. Episcoporum Conferentiae propriis reguntur normis atque ad peculiaria negotia tractanda commissiones constituere possunt, earum membra eligere et competentiam definire.

§ 3. Quoties ex diversa Episcoporum agendi ratione causis ecclesiasticis, praesertim iis quae cum executione Concordati connectuntur, aliquod praeiudicium oriri possit, Episcopi obligatione tenentur exquirendi sententiam Conferentiae Episcoporum eamque unanimi modo sequendi, salvo semper iure recurrendi ad S. Sedem.

C. De Capitulis Cathedralibus et Collegialibus.

Decr. 27. Capitula cathedralia intra sui officii fines ceteris clericis exemplo sint in strenua ac concordi cum suo Episcopo collaboratione.

Decr. 28. In ecclesiis cathedralibus et collegialibus diebus dominicis et festivis Missae celebrentur iis horis iisque rerum adiunctis, quae fidelibus magis opportuna et idonea videantur.

D. De decanis.

Decr. 29. Decani officium suum exercent secundum normas in Codice Juris Canonici et ab Episcopo statutas.

Decr. 30. Decani Episcopum sine mora certiore reddant de iis, quae in suis decanatus occurrerint ac gravioris fuerint momenti.

Decr. 31. Archivum decanatus a paroeciae tabulario sit distinctum.

E. De parochis eorumque cooperantibus.

Decr. 32. Qui curae animarum sunt praepositi, sui ministerii sanctitate ac supernaturali indole imbuti officio suo omni diligentia

fungi, potiores pastoralis muneris methodos cognoscere easque locorum et temporum adiunctis aptare studeant, solliciti praepositis, ut parochiani fundamentales fidei veritates addiscant, in dies magis spiritu proficiant, morum praecepta in vita tam privata quam domestica et sociali sequantur et zelo apostolico incendantur.

Decr. 33. Parochus debet suos parochianos nosse, elenchem eorum conficere eosque excipere praesertim horis ad id praefinitis ipsique gregi commodis necnon paroeciam diligenter visitare, quo in officio implendo parochum cooperatores, eo mandante, adiuvantur.

Decr. 34. § 1. Clerus paroecialis specialem curam infirmis impendat, eosque non solum ultimis Sacramentis refecturus adeat, sed saepius invisat.

§ 2. Occasione visitationis parochianorum, etiam tempore post Nativitatem Domini (kolęda), nefas est clero paroeciali quidpiam in propriam utilitatem exigere.

Decr. 35. Concilium Plenarium, prout ex una parte postulat, ut clerici curae animarum addicti tertiis ordinibus, confraternitatibus, sodalitiis aliisque associationibus piis diligentem curam impendant, ita ex altera parte eos monitos vult, ne nimii sint in earum numero augendo, sed potius videant, ut, quae existunt, floreat religioseque statuta observent.

Decr. 36. Cuilibet paroeciae sua sit societas misericordiae christianae operibus exercendis, secundum normas ab Episcopo datas constituta.

Decr. 37. In quavis paroecia sit etiam „domus catholica”, sedes Actionis catholicae et societatum paroecialium.

Decr. 38. Parochus obligatione tenetur secundum leges canonicas libros paroeciales codicesque accepti et expensi diligenter conscribendi, annales paroeciae conficiendi et archivi paroecialis, cuius indicem teneat quodque in loco tuto sit collocatum, curam habendi.

Decr. 39. § 1. Sine Episcopi consensu non licet in domo, usui parochi aut aliorum clericorum destinata, consanguineis aut aliis laicis stabilem praebere habitationem.

§ 2. Consanguinei et domestici parochorum prohibentur, quominus sese sub quovis praetextu negotiis paroeciae ecclesiaeve immisceant aut ecclesiae arcas administrent.

Decr. 40. § 1. Episcopi pro sua quisque dioecesi infra annum praefiniant quantitatem eleemosynae Missarum necnon taxarum, quae iura stolae vocantur, ad praescriptum canonis 1234.

§ 2. Concilia provincialia infra biennium praefiniant ad normam canonis 1507 § 1 taxas pro variis actibus iurisdictionis voluntariae vel occasione administrationis sacramentorum, praesertim matrimoniorum, vel sacramentalium in tota ecclesiastica provincia solvendas.

§ 3. A Conferentia Episcoporum statuatur taxae in universa Republica parochis solvendae pro documentis, quae ab ipsis exscribuntur.

§ 4. Pauperibus gratuitum ministerium praestandum est.

Decr. 41. Exactionem praestationum ultra taxam praefixam Concilium Plenarium tamquam abusum damnat ac reprobatur. Clerici, qui eiusmodi abusum commiserint, ab Episcopo ad normam can. 463 ad restitutionem adigantur¹⁾ et ad normam can. 2222 § 1²⁾ coerceantur. In casibus gravioribus Episcopi praescriptum can. 2147 § 1 aut 2408 applicent³⁾.

Decr. 42. Parochus obligatione tenetur decanum sine mora certiore reddendi de rebus, quae in sua paroecia acciderint et gravioris sint momenti, praesertim de propagatione sectarum.

Decr. 43. § 1. Cooperatoris est adiuvere parochum in cura animarum et in cancellaria secundum normas ab Episcopo statutas et instructiones a parochis sibi datas.

§ 2. Cooperatori in domo parochi aut in domo usui cooperatorum destinata debetur habitatio gratuita et congrua et, quantum fieri potest, suppellectili necessaria instructa. Quae autem sustenta-

¹⁾ Can. 463 § 1. Jus est parochis ad praestationes, quas ei tribuit vel probata consuetudo vel legitima taxatio ad normam can. 1507 § 1.

²⁾ Potiores exigens, ad restitutionem tenetur.

³⁾ Can. 2222 § 1. Licet lex nullam sanctionem appositam habeat, legitimus tamen superior potest illius transgressionem, etiam sine praevia poenae comminatione, aliqua iusta poena punire, si scandalum forte datum aut specialis transgressionis gravitas id ferat...

³⁾ Can. 2147 § 1. Parochus inamovibilis a sua paroecia amoveri potest ob causam, quae ipsius ministerium, etiam citra gravem suam culpam, noxium aut saltem inefficax reddit.

Can. 2408. Taxas consuetas et legitime approbatas ad normam can. 1507 augentes aut ultra eas aliquid exigentes, gravi mulcta pecuniaria coerceantur, et recidivi ab officio suspendantur vel removeantur pro culpae gravitate, praeter obligationem restituendi quod iniuste perceperint.

tionem respiciant quaeque eorum sint partes in redditibus paroecialibus, a singulis Episcopis pro sua cuiusque dioecesi definiantur.

§ 3. Parochus debet cooperatores suos paterna cura instruere et dirigere eisque in omnibus exemplo esse. Cooperatores autem parochis, tamquam immediato suo superiori, tenentur, in iis quae ad curam animarum spectant, oboedientiam praestare et tam domi quam in ecclesia ordinem ab ipso praefinitum servare.

Decr. 44. In paroeciis maioribus, ut ministeria circa curam animarum cum maiori fructu ordinate exercentur, parochus speciales instituat collationes, ad quas omnes, qui in eius territorio adlaborant, sacerdotes tam saeculares quam religiosos invitet.

F. De religionis magistris.

Decr. 45. Sacerdos, qui institutionem religiosam in scholis tradunt, hoc sibi habeant propositum, ut iuventutem sibi creditam, non solum in doctrina christiana instituant, sed praesertim ad principia catholica informant.

Decr. 46. Magistri religionis sacerdotes manent sub vigilantia et cura decani.

Decr. 47. Magistri religionis, qui cooperatorum munere non funguntur, cum parochis et clero paroeciali consuetudinem foveant eumque adiuvent, praesertim in confessionibus fidelium audiendis, ordinemque devotionum paroecialium observent; sacerdotes autem ecclesiae paroeciali addicti auxilium mutuum religionis magistris ne denegent.

G. De capellanis studentium in universitatibus.

Decr. 48. Ubi studiorum universitates existunt, ab Episcopo constituentur speciales capellani, qui spirituale ministerium pro studentibus gerant.

H. De capellanis nosocomiorum et carcerum.

Decr. 49. § 1. Aegrotis, qui in nosocomiis vel hospitibus commorantur, congruam curam impendant parochi loci vel capellani ab Episcopo constituti.

§ 2. In nosocomiis et hospitibus instituaturs associatio Apostolatus aegrotorum.

Decr. 50. § 1. Carceribus amplioribus speciales sint capellani ab Episcopo nominati, qui omni cum diligentia carcere inclusorum animis mederi eosque ad meliorem frugem reducere studeant.

§ 2. In patronatibus pro detentis in carcere praeter sacerdotes etiam laici catholici adiutores sint oportet.

I. De religiosis.

Decr. 51. Praescripta Concordati necnon leges et decreta Status cum Episcopis conventa obligant etiam religiosos.

Decr. 52. Religiones earumque sodales in ministeriis ad fidelium curam spectantibus rationem habeant decretorum, quae ab Episcopo statuta sunt.

Decr. 53. § 1. In omnibus ac singulis dioecesibus religiosi, antequam ad ordines maiores promoveantur, examen subire debent, de quo in can. 996 §§ 2 et 3¹⁾, coram commissione ab Episcopo constituta ad normam can. 997²⁾.

§ 2. Religiosi examen subire debent ad audiendas confessiones ad normam can. 877 § 1³⁾.

Caput IV

De laicis.

Decr. 54. § 1. Concilium Plenarium monitos vult fideles ut, omni respectu humano postposito, fidem suam in vita tam privata

¹⁾ Can. 996 § 2. Promovendi vero ad sacros ordines in aliis quoque de sacra theologia tractationibus periculum faciant.

§ 3. Episcoporum est statuere, qua methodo, coram quibus examinantibus et quibus in tractationibus sacrae theologiae promovendi periculum facere debeant.

²⁾ Can. 997 § 1. Hoc examen sive pro clericis saecularibus sive pro religiosis recipit loci Ordinarius, qui iure proprio ordinat, aut dat dimissorias litteras, qui tamen potest quoque, ex iusta causa, illud Episcopo ordinaturo committere, qui id oneris suscipere velit.

§ 2. Episcopus alienum subditum sive saecularem sive religiosum ordinans cum legitimis litteris dimissoriis, quibus asseritur candidatum examinatum fuisse ad normam § 1, et idoneum repertum, potest huic attestationi acquiescere, sed non tenetur, et si pro sua conscientia censeat, candidatum non esse idoneum, eum ne promoveat.

³⁾ Can. 877 § 1. Tum locorum Ordinarii iurisdictionem, tum Superiores religiosi iurisdictionem aut licentiam audiendarum confessionum ne concedant, nisi iis qui idonei per examen reperti fuerint, nisi agatur de sacerdote cuius theologiam doctrinam aliunde compertam habeant.

quam publica intrepide profiteantur, praesertim quoties silentium defectioni a fide aequiparari aut scandalo esse possit.

§ 2. Doctrinae christianae scientiam continuo haurire studeant, inter alia conciones audiendo, sacram Scripturam in editionibus ab Ecclesia approbatis, libros et commentaria, quae de rebus divinis agunt, legendo atque frequentando publicas praelectiones, quae de religione habentur.

Decr. 55. Fideles supernaturalem vitam gratiae in se foveant augeantque atque hunc in finem Sacrosancto Missae Sacrificio assistant, Sacramenta suscipiant, orationi vacent, conscientiam examinent, missionibus, exercitiis spiritualibus, solemnitatibus ecclesiasticis ceterisque devotionibus intersint.

Decr. 56. § 1. Catholici universam suam vitam ad divina et ecclesiastica praecepta componere ac virtutibus christianis, praesertim activa in proximum caritate, aliis in exemplum praelucere debent.

§ 2. In vestitu, oblectamentis et colloquiis servare debent modestiae christianae normas.

Decr. 57. § 1. Ubi cumque agitur de iis, quae communem omnium postulant cooperationem v. g. quae humaniorem vitae evolutionem, scientiam, variarum artium coetus aliaque huiusmodi respiciunt, studeant catholici in associationes, quarum statuta doctrinae christianae tamquam fundamento innitantur, sese unire in iisque spiritum ac principia catholica fovere.

§ 2. Quoties timeri potest, ne in associationibus nullam religionem profitentibus fideles damnum quoad religionem capiant, catholici, mandatis Sedis Apostolicae obsequentes, ab ipsis abstineant.

§ 3. Nefas est nomen dare sectis haereticis, massonicis atque associationibus socialistis, aliisque tam publicis quam occultis, quae Ecclesiae et ordini sociali infestae sunt aut indifferentismum religiosum propagant, eisque favere aut cum iis collaborare.

§ 4. Peculiari modo monet Concilium Plenarium catholicos, ut a comunismo, funestissimo praesentis aetatis contagio, omnino caveant totisque viribus obstent sive eius subdolae penetrationi sive eius nefastis principiis de religione destruenda, deseminando odio, de omni civili ordine evertendo.

Decr. 58. Caveant a familiaritate cum apostatis a fide necnon cum catholicis, qui in coniugio non canonico vivunt.

Decr. 59. Concilium Plenarium parentes et tutores vehementer hortatur, ut preces quotidianas communiter cum liberis fundant.

Decr. 60. Fideles officio ac honori sibi ducant consilia et opera paroecialia promovere et sustinere.

Decr. 61. Fidelibus enixe commendatur, ut catholicis societibus caritativis nomen dent eisque suam conferant opem.

Decr. 62. Fideles tenentur operam suam studiumque cum clero conferre, ut fides morumque honestas integre serventur. Quod ut obtineatur, debent:

a) propagare principia doctrinae catholicae atque obsistere praecipue impietati, atheismo, indifferentismo, sectis acatholicis, laicismo, luctae in Ecclesiam eiusque hierarchiam;

b) vitae exemplo, ore et scripto, defendere moralitatem christianam, obnitendo morum in vita tam privata quam publica depravationi, propagationi ethicae iuri divino adversae necnon immoralitati, quae non raro litteris, theatro, cinematographo et radio late diffunditur;

c) defendere indissolubilitatem matrimonii, castitatem connubii et sanctitatem familiae; obluctari autem contrariis hac in re iisque familiae funestis principiis, praesertim falsis matrimonii conceptibus, propagationi eugenicae materialismo infectae, inhonestae limitationi prolis necnon doctrinis et legibus, quibus abortus humani foetus defenditur aut permittitur;

d) promovere secundum principia catholica actionem contra alcoholi et sopiferorum abusum.

Decr. 63. Concilium Plenarium catholicos enixe hortatur, ut memores necessitatum temporalium Ecclesiae, oblationibus secundum normas ab Episcopo statutas in partem impensae ultro veniant ad templa, aedificia ecclesiastica, coemeteria erigenda et conservanda, ad devotiones fovendas, ad clericos aliosque ecclesiae inservientes sustentandos.

Caput V

De Actione Catholica.

Decr. 64. Actio catholica quoad generalem suam constitutionem et fundamentalem rationem ordinemque agendi dependet iuxta normas Sanctae Sedis a Conferentia Episcoporum, quoad gesta autem intra fines dioeceseos ab Episcopo.

Decr. 65. Eorum, qui Actioni catholicae praesunt, est spiritum apostolicum secundum praecepta excitare, communia actionis programmata determinare et opera societatum, quae ad Actionem catholicam accesserunt, coordinare.

Decr. 66. § 1. Societates Actionem catholicam constituentes spiritu religioso et apostolico sodales suos informare studeant. In iis autem, quae communibus actionis programmatibus definita sunt (Decr. 65), necnon quoad festa atque coetus in commune celebranda, concordii fraternitatis sensu regantur sive relate ad eos, qui Actioni praesunt, sive relate ad alias catholicas societates.

§ 2. Societatum Actionis catholicae auxiliarium est secundum normas a Conferentia Episcoporum statutas cum iis collaborare, qui Actioni catholicae praesunt.

Decr. 67. Actioni catholicae praeficiantur laici rite instructi et integra vita praecellentes, qui tamen in factionibus politicis partes directivas non habeant.

Decr. 68. Concilium Plenarium fideles vehementer cohortatur, ut societatibus Actionem catholicam constituentibus vel eius auxiliariis nomen dent, ibique in via perfectionis in dies progredi studeant, morum sanctitate aliis exemplo sint, zelum apostolicum et perseverantiam ex fidei supernaturalibus fontibus hauriant atque alacri magnoque animo adlaborent, ut Regnum Christi magis magisque diffundatur.

Decr. 69. § 1. Quaevis associatio Actionis catholicae suum habeat Assistentem ecclesiasticum ab Episcopo nominatum, cuius munus inter officia pastoralia adnumerandum est. Quapropter assistentes ecclesiastici debent accuratam notitiam principiorum, quibus Actio catholica innititur, et speciatim statutorum atque rationis agendi, quibus in Polonia regitur, sibi comparare atque ad normam statutorum tam circulis paroecialibus quam Actionis catholicae societatibus sollertem curam impendere, earum consilia et opera concordare ac sodales sensu apostolico imbuere.

§ 2. Religionis magistri vero obligatione tenentur in suorum alumnorum animis zelum apostolicum excitandi atque ita eos instruendi, ut postea in societates Actionis catholicae cooptari valeant.

§ 3. Religiosi quoque, quantum in ipsis est, obligatione tenentur secundum normas statutas cum Actione catholica collaborandi.

Caput VI

De principiis moralibus vitae publicae, socialis et humanioris.

Decr. 70. § 1. Praecepta moralia, quibus secundum doctrinam catholicam vita publica regenda est, catholici probe cognoscant eaque propugnent et in actum deducant.

§ 2. Tam clerici quam laici officia civium Reipublicae Polonae secundum doctrinam ethicae catholicae fideliter adimpleant, legitimas auctoritates debita reverentia prosequendo atque leges servando.

§ 3. Obsistendum est falsis de re publica doctrinis secundum quas universa vitae ratio publicae potestati et invigilationi ita subicienda esset, ut eidem res ipsae conscientiae, potestas Ecclesiae catholicae atque indistincte tam singulorum quam familiae societatisque iura subdenda forent.

Decr. 71. Illos, qui Reipublicae praesunt aut oratorum legibus ferendis munere funguntur, Concilium Plenarium enixe adhortatur ut, in suis officiis gerendis et in legibus condendis, doctrinam catholicam observandam curent.

Decr. 72. Catholici adimplentes sua erga propriam nationem officia adhaesionis, evolventes elementa humaniora patriae vitae et prosperitatem pro viribus augentes suae gentis, sedulo caveant a vesano nationis cultu ethnicumque repellant errorem circa stirpis praedominans momentum (rasizm).

Decr. 73. Sive clerici sive laici noverint principia ethica et iuridica in litteris encyclicis de re sociali promulgata, ad quorum, normam vita socialis quantocius est componenda et emendanda.

Decr. 74. Catholici potissimam partem habeant in formandis et emendandis conditionibus socialibus secundum iustitiae et caritatis leges, odio et lucta inter diversarum classium cives eliminatis et data omnibus possibilitate laboris atque convenientis vitae. Quod ut obtineatur, inter cetera conandum est, ut relationes inter patronos et operarios iuxta normas catholicas de re sociali componantur, ut civibus labor domiciliumque provideantur, necnon agrorum, operariorum, egentium sors miseranda sublevetur.

Decr. 75. In vita humaniore provehenda catholici ceteros praegredi eamque spiritu fidei imbueri nitantur.

Caput VII

De diariis librisque catholicis.

Decr. 76. § 1. Pro gravissimo momento, quod verbo impresso in vita moderanda obvenit, Concilium Plenarium adhortatur:

a) scriptores et diariorum moderatores, ut suas vires regno Dei tuendo et propagando devoveant;

b) clericos et laicos, ut bonos libros, diaria et periodica, quae sensui catholico respondent, iuvent promoveantque.

§ 2. Singuli Episcopi in sua quisque dioecesi in id incumbant, ut condatur fundus diariis librisque catholicis edendis et diffundendis.

Decr. 77. § 1. Fideles ne praetermittant subnotare atque legere ephemerides et periodica catholica, praecipue dioecesana et Actionis catholicae folia.

§ 2. Fideles diligenter caveant, ne emant libros vel diaria, quae contra Deum, Fidem et Ecclesiam militant aut principia ab ethica catholica aliena vel pornographiam proferunt ac divulgant.

Decr. 78. Prope omnes et singulas ecclesias paroeciales libri et periodica, quae principiis catholicis imbuta sint, emptui fidelium exponantur.

Decr. 79. Curandum, ut in quavis paroecia bibliothecae et exedria ad legendum, sive ecclesiastica sive alia catholica, habeantur, quibus tum a clericis tum a fidelibus diligens cura impendenda est.

Decr. 80. Concilium Plenarium mandat, ut cautius et strictius licentia edendi libros, libellos aliaque scripta concedatur. Censores autem obligatos vult, ut denegent „nihil obstat” non tantum libris scriptisque, quae a doctrina Ecclesiae quid alienum contineant, sed etiam illis, quae aliquid scandali praeseferre, pacem perturbare aut in Ecclesiae contemptum vertere possint.

Caput VIII

De missionibus et Ecclesiae unione.

Decr. 81. Concilium Plenarium praecipit, ut de natura et fine Actionis unionisticae recta notitia per omnes dioeceses divulgetur omnesque sive clerici sive laici unionem Ecclesiarum oratione et opera promoveant.

Decr. 82. Clerici et laici studeant infideles, sectis addictos, apostatas a fide, iudaeos, religionem nullam profitentes ad Ecclesiam perducere.

Decr. 83. § 1. Sacerdotes opera missionis promoveant atque fideles hortentur, ut pro missionibus orent et propagationem fidei in terris paganorum eleemosynis iuvent, praecipue autem eorum curae commendent missiones clero polono concreditas.

§ 2. In omnibus ac singulis paroeciis habeantur et excolantur Opera Pontificia pro missionibus.

Caput IX

De Sacramentis.

Decr. 84. § 1. Infantes quam primum in ecclesia proprii ritus baptizentur.

§ 2. Sacerdos, qui in casibus can. 98 § 1 expressis¹⁾ ac proinde per modum exceptionis infantem alieni ritus baptizaverit, debet sine mora de baptismo collato certiore reddere proprium baptizati parochum, cui soli ius est collatum baptismum in baptizatorum libro referendi.

§ 3. Presbytero ritus orientalis, qui infantem ritus latini baptizet, eidem Sacramentum confirmationis conferre non licet²⁾.

Decr. 85. Consuetudo baptismum solemnem extra ecclesiam ministrandi abrogatur.

Decr. 86. Qui animarum curam exercent, obligatione tenentur celebrandi Missae Sacrificium et alias devotiones hora statuta et fidelibus commoda.

Decr. 87. Revocata consuetudine contraria, Augustissimum Sacramentum intra Missam exponere non licet, exceptis casibus in Codice Iuris Canonici et libris liturgicis expressis.

Decr. 88. Extra ecclesiam aut oratorium non licet Missam celebrare nisi de licentia Episcopi tantum et ad normam legum ecclesiasticarum.

¹⁾ Can. 98 § 1. Inter varios catholicos ritus ad illum quis pertinet, cuius caeremoniis baptizatus fuit, nisi forte baptismus a ritus alieni ministro vel fraude collatus fuit vel ob gravem necessitatem, cum sacerdos proprii ritus praesto esse non potuit, vel ex dispensatione apostolica, cum facultas data fuit, ut quis certo quodam ritu baptizaretur, quin tamen eidem adscriptus maneret.

²⁾ Can. 782 § 2. Nefas est presbyteris ritus orientalis, qui facultate vel privilegio gaudent confirmationem una cum baptismo infantibus sui ritus conferendi, eandem ministrare infantibus latini ritus.

Decr. 89. In casu necessitatis presbyteris ritus orientalis fas est Missam celebrare super altare in ecclesiis et oratoriis ritus latini; presbyteris autem ritus latini vi peculiaris indulti apostolici¹⁾ super antimensiis in ecclesiis et sacellis ritus orientalis.

§ 2. In celebratione Missae possunt presbyteri intra fines Reipublicae Polonae uti sacris vestibibus illius ritus, ad quem pertinet ecclesia aut oratorium, in quo celebrant.

Decr. 90. § 1. Pueri admittantur ad primam Communionem, cum fundamentales fidei veritates pro suo captu perceperint, i. e. ordinarie circa septimum aetatis annum.

§ 2. Episcopi pro suis dioecesibus opportunas statuunt normas circa modum, quo prima Communio sive privatim sive solemniter sit administranda.

§ 3. Pueri ad primam confessionem et Communionem a clero paroeciali vel a religionis magistris praeparentur ad normam canonis 854 C. J. C.

Decr. 91. § 1. Concilium Plenarium fideles speciali vero ratione iuvenes cohortatur, ut ad Communionem frequenter, immo quotidie accedere studeant.

§ 2. Sacerdotes, speciatim curam animarum gerentes, fideles instruant de eximia utilitate frequentis Communionis.

Decr. 92. Parochi, cooperatores et ecclesiarum rectores debent quotidie horis matutinis statutis populoque aptis, in sede confessio-

¹⁾ S. Congr. S. Officii, approbante Clemente VIII a. 1602: Sacerdotes Rutheni non schismatici in ecclesiis catholicorum ritus latini, altaribus, calicibus et vestibibus sacris eorundem catholicorum uti et Missam celebrare possint in casu necessitatis ac etiam solum devotionis causa, dummodo ritu rutheno celebrent. Et e contra sacerdotes ritus latini in ecclesiis Ruthenorum non schismaticorum, altaribus et calicibus et vestibibus sacris uti et Missam celebrare valeant ritu tamen latino. Et praedicta servantur, secluso omni scandalo et de licentia praelatorum et rectorum ipsarum ecclesiarum. — Apud Bened. XIV Const. Imposito nobis 29 Martii 1751, § 7.

Decr. S. Congr. de Prop. Fide 6 Oct. 1863 B.: a) Utriusque ritus sacerdotes, qui censuris ligati non sunt, in ecclesiis mutuis, cum facultate rectoris ecclesiae, licite super altaribus sive consecratis sive portatilibus, sive super antimensiis, ut in ecclesia graeca moris est, singuli tamen suo ritu et lingua liturgica ex apostolico indulto Missas celebrare possunt. b) Pari modo offerre possunt Sacrificium Missae in oratoriis privatis canonice erectis aut sacellis cum licentia Episcoporum in pagis et coemeteriis reperibilibus, sacerdotes utriusque ritus, et semper praevia licentia parochi, in cuius iurisdictione sacellum situm est. — Collect. S. C. de Prop. Fide, Romae 1907, vol. 1, p. 686, n. 1243.

nali fideles peccata sua confessuros expectare, sabbato vero et in pervigiliis festorum nec non primae feriae VI cuiusvis mensis etiam horis vespertinis.

Decr. 93. Tam clerici quam laici, praesertim vero propinqui, curare debent, ut fideles, qui ratione infirmitatis, senectutis aut subeundae operationis chirurgicae in periculo mortis versantur, Sacramentis muniantur, dum suae mentis plene sunt compotes.

Decr. 94. Concilium Plenarium reprobatur damnatque matrimonia a catholicis, Ecclesiae legibus contemptis, attentata, item divortia catholicis a tribunalibus sive civilibus sive aliarum confessionum concessa.

Decr. 95. Capellani militum, qui iurisdictione parochi gaudent, valide assistunt matrimoniis in casu, quo unus saltem ex nupturientibus eorum iurisdictioni subsit.

Decr. 96. § 1. Nupturientes ante matrimonii celebrationem examini secundum normas pro dioecesi editas subiiciendi sunt nec non de essentia et obligationibus matrimonii instruendi.

§ 2. Curandum est, ut sponsi ante celebrationem matrimonii peccata sua secundum statuta aut locorum consuetudinem confiteantur.

Decr. 97. Qui celebrationi matrimonii intersunt, ea modestia et reverentia se gerant, quae Sacramento et loco sacro debetur.

Caput X

De Sacramentalibus.

Decr. 98. De excellentia ac virtute sacramentalium fideles a clero edoceantur atque excitentur ut illis secundum Ecclesiae doctrinam utantur.

Decr. 99. § 1. Benedictiones liturgicae, festis quibusdam aut temporibus anni ecclesiastici annexae et a maioribus traditae, retinendae sunt.

§ 2. Ad clerum paroecialem unice pertinet benedictiones Episcopo non reservatas extra ecclesiam solemniter peragere.

§ 3. Vexilla emblematis sacris non ornata benedicere non licet nisi de Episcopi licentia.

Decr. 100. § 1. Aedes, instituta aliaque similia benedicere non licet, si ad eundem actum peragendum etiam ministri acatholici invitati fuerint. In dubio ad Episcopum recurrendum est.

§ 2. Non licet benedicere monumenta et tabulas, quae characterem sacrum non prae se ferunt.

Decr. 101. Hortandi sunt fideles ut imagines sacras, rosaria aliasque cultus catholici res a catholicis emant.

Caput XI

De locis sacris.

Decr. 102. § 1. Ecclesiae aliaque loca Dei cultui dicata religiosa veneratione a fidelibus honoranda sunt.

§ 2. Immodeste vestiti ab ingressu in ecclesiam et etiam ab officiis divinis, quae extra ecclesiam peraguntur, arceantur.

Decr. 103. § 1. Presbyterium reservatur clericis.

§ 2. Sacris officiis tecto capite interesse viris generatim non licet nisi militibus, qui sub armis servitium actu praestant.

Decr. 104. Ad valvas ecclesiarum tabulae appositae sint oportet, in quibus praeter alia notentur tum ordo officiorum divinorum diebus dominicis, festivis et ferialibus servandus, tum horae excipiendis confessionibus destinatae.

Decr. 105. Ecclesiae, in quibus Sanctissimum Sacramentum asservatur, quotidie per aliquas saltem horas fidelibus pateant.

Decr. 106. Concilium Plenarium urget, ne fideles actibus intersint cultus acatholicorum.

Decr. 107. § 1. Servitio Ecclesiae addicti, scilicet organoedus, cantor, sacrista, sepulchrorum fossor, a parochi aut rectore ecclesiae assumuntur et amoveantur secundum leges dioecesanarum.

§ 2. Ad organoedi munus a parochi aut rectore ecclesiae non sunt assumendi, nisi qui a commissione dioecesana et secundum leges dioecesanarum idonei reperti fuerint.

§ 3. Contractus cum personis de servitio ecclesiae ineundi semper litteris consignentur.

§ 4. Salarium congruum ad normam canonis 1524 C.J.C. iisdem personis quovis mense ex fundo ecclesiastico solvatur, apocha solutae pecuniae recepta.

Decr. 108. § 1. Coemeteria ecclesiastica secundum leges canonicas et civiles concordatas constituenda et conservanda sunt.

§ 2. Coemeterii catholici regimen ad parochum pertinet.

Decr. 109. Ad assistendum funeri neque personas, quae nomine societatum ab Ecclesia damnatarum ex officio accedunt, neque earundem societatum vexilla aut emblemata admittere licet.

Caput XII

De Dei et Sanctorum cultu.

Decr. 110. Praeterquam a sacro suggestu, in scholis instruantur fideles circa sensum liturgiae, festorum et caeremoniarum per annum ecclesiasticum recurrentium.

Decr. 111. § 1. Cultus Sanctissimae Trinitatis et Augustissimae Eucharistiae atque devotio erga Sacratissimum Cor Jesu in quavis paroecia florescant. Hunc in finem promovenda est Communio expiatoria, devotio mense Junio et prima feria VI cuiuslibet mensis celebrari solita, praxis horae sanctae, consecratio familiarum Sacratissimo Cordi Jesu.

§ 2. Fidelibus pia exercitatio Viae Crucis vehementer commendatur.

Decr. 112. Concilium Plenarium fidelibus plurimum commendat usum salutationis christianae: Laudetur Jesus Christus—In saecula saeculorum. Amen.

Decr. 113. § 1. Promoveatur Beatissimae Virginis Mariae cultus, qui in vita catholicorum tam privata quam publica singularem locum teneat oportet.

§ 2. Concilium Plenarium praeter alia commendat recitationem s. Rosarii etiam in familiis, item recitationem „Angelus Domini” necnon participationem officiorum, quae mense Maio celebrari solent.

§ 3. Mensis Martius secundum decreta Sedis Apostolicae cultui S. Joseph dicandus est.

Decr. 114. § 1. In universa Reipublicae vita efficacius manifestari debet cultus nostrorum Patronorum caelestium, Sanctorum et Beatorum.

§ 2. Tam antiqui quam recentes processus beatificationis et canonizationis assidue promoveantur.

Decr. 115. Cavendum est, ne in instituendis ac ducendis piis peregrinationibus abusus et dissipatio irrepant neve peregrinationes characterem sacrum amittant.

Decr. 116. Curandum est, ut in ecclesiis et processionibus praeter cantum choralem et polyphonicum, resonet etiam cantus in patria lingua ad normam legum liturgicarum.

Decr. 117. § 1. Concilium Plenarium praescribit ut textus in lingua polona Lectionum et Evangeliorum unus idemque sit in universa Polonia, prouti a Conferentia Episcoporum praeceptus fuerit.

§ 2. Item textus melosque canticorum ecclesiasticorum et praecipuarum precum a Conferentia Episcoporum determinandi sunt.

Caput XIII

De magisterio ecclesiastico.

A. De institutione et educatione religiosa.

Decr. 118. Concilium Plenarium gravissimam proclamat necessitatem pueros in doctrina christiana accurate instruendi, adultos autem uberius perfectiusque catechismo excolendi.

Decr. 119. § 1. Parentibus Concilium Plenarium in memoriam revocat primam scholam, in qua pueri veritates fidei haurire debent, intra familiae septa contineri. Quapropter parentes in animis filiorum, iam a prima infantia, fidei in Deum spargant semina, eos preces quotidianas et fundamentales veritates christianas doceant ipsisque vitae christianae praebeant exempla.

§ 2. Parentes obligatione tenentur liberorum adolescentium catholicam institutionem atque educationem incessanter evolvendi ac perficiendi, simulque curandi ut solidam veritatum fidei christianae cognitionem acquirant, rectae praxi religiosae assuescant, principiis catholicis vitam suam regant, animumque sincera virtute christiana exornent.

Decr. 120. § 1. Doctrina christiana, quae in scholis ad normam art. XIII Concordati traditur, exponenda est modo captui alumnorum accommodato atque tali adhibita methodo ut alumni, cognita veritate revelata, eiusdem sensu toti imbuantur ac fidei et Ecclesiae amore inflammentur.

§ 2. Doctrina christiana tradenda est iuxta rationem studiorum ab Episcoporum Conferentia praefinitam, adhibitis compendiis ab eadem approbatis.

§ 3. Cum doctrinae christianae expositione coniungenda est in scholis statuta praxis religiosa.

§ 4. Associationes religiosae iuventutis scholaris dirigantur a proprio paroco vel a sacerdote, qui magistri religionis officio fungitur.

§ 5. Magistri religionis, sive clerici sint sive laici, ut doctrinam christianam tradere valeant, indigent missione canonica, ab Episcopo pro determinata schola concedenda; parochus autem eiusque cooperatores habent eandem missionem vi officii sui pro scholis elementariis paroeciae suae.

§ 6. Episcopi est institutionem religiosam in scholis per se aut per visitatores a se designatos moderari et visitare.

Decr. 121. Ut ratio doctrinam christianam in scholis tradendi in dies excolatur, curent Episcopi ut, praeter cathedras artis pedagogicae et catecheticae in Facultatibus theologicis et Seminariis dioecesanis constitutas, peculiare instituantur cursus a magistris religionis tum clericis tum laicis frequentandi.

Decr. 122. Parentes catholici, innixi iuri naturali atque solemnibus Summorum Pontificum enuntiationibus, praecipue vero litteris encyclicis de iuventutis christiana educatione, postulare debent, ut liberi in scholis, soli iuventuti catholicae destinatis, instituantur. Quamdiu vero huiusmodi scholae confessionales non dantur, Concilium Plenarium fidelibus inculcat ius et officium exigendi ut disciplinae, secundum vigentem rationem studiorum in scholis tradi solitae, plene cum principiis doctrinae catholicae concordent, neve alumnorum fides et morum honestas in discrimen vocentur incongrua coeducatione et commixtione iuventutis catholicae cum iudaicis aut eiusdem iuventutis catholicae institutione per magistros acatholicos.

B. De praedicatione verbi divini.

Decr. 123. Concilium Plenarium clerum hortatur ut in concionibus diligenter paratis, concretis atque Sacrae Scripturae et doctrinae Ecclesiae innixis, universam veritatem revelatam fidelibus tradant, attentis hodierni temporis adiunctis atque audientium captu et necessitatibus spiritualibus.

Decr. 124. § 1. Animarum pastores, tam saeculares quam religiosi, stricta tenentur obligatione habendi conciones catecheticas easque ita ordinandi ut intra quinque ad summum annos totam exponant doctrinam christianam.

§ 2. Quapropter habeant: a) diebus dominicis concionem catechetica, nisi Episcopus pro aliqua dominica aliud argumentum designaverit; b) diebus autem festis concionem de festo.

Decr. 125. Praeter concionem in summo Sacro haberi solitam, etiam in aliis Missis, quae diebus dominicis et festis de praecepto cum populi concursu celebrantur, brevis sermo fiat per decem circiter horae minuta duraturus.

Decr. 126. Reprobata consuetudine contraria, concio, intra Missam habenda, fiat ante Credo, immediate post Evangelium.

Decr. 127. Argumenta concionum, quae habitae sunt, adnotentur in speciali libro in archivo paroeciali asservando.

Decr. 128. Curandum est ut in omnibus ac singulis dioecibus sint domus clausis exercitiis spiritualibus destinatae.

C. De Catholica Universitate Lublinensi.

Decr. 129. § 1. Episcopi totius Poloniae peculiari cura amplectantur et foveant Catholicam studiorum Universitatem Lublinensem, cuius ex instituto suo est doctrinam et sensum catholicum in Republica evolvere et propagare.

§ 2. Quapropter ab omnibus dioecibus solvatur in commodum Universitatis illa pecuniae summa, quae a Conferentia Episcoporum praefinita fuerit.

§ 3. Die a Conferentia Episcoporum statuta fiant in omnibus ac singulis ecclesiis collectae in commodum eiusdem Universitatis.

§ 4. Omnes, tam clericos quam laicos, Concilium enixe invitatur ut necessitatibus Catholicae Universitatis Lublinensis elemosynis et legatis subveniant atque consilio et opera „Diem Universitatis” promoveant.

D. De Facultatibus theologicis et Seminariis.

Decr. 130. Facultates theologicae in Universitatibus Status subsunt ad mentem Constitutionis „Deus Scientiarum Dominus” vigilantiae proprii Episcopi atque qua doctrinae ecclesiasticae et catholicae humanioris vitae athenaea resplendere debent.

Decr. 131. Ad disciplinas theologicas in Polonia efficacius promovendas, Episcopi a) alumnis virtute, ingenio, diligentia praecellentibus faciliora reddant altiora s. Theologiae studia; b) curent ut pecuniae summa colligatur, cuius redditibus sublevari possit editio periodicorum et librorum de theologica scientia affinibusque disciplinis tractantium.

Decr. 132. Moderatores et professores Seminariorum dioecesanorum omni studio curent ut alumni in vita supernaturali alantur et firmentur, solida doctrina imbuantur, necessitatum religionis sui temporis sint conscii atque in novis methodis officii pastoralis adhibendis bene versati.

Decr. 133. § 1. Studia ecclesiastica ita excolenda et augenda sunt ut in dies magis necessitatibus temporis respondeant.

§ 2. Praelectiones committendae sunt professoribus gradu academico praeditis ac in disciplinis tradendis peculiari modo versatis, ut studiorum ecclesiasticorum singularem firmumque possint in alumnis excitare et fovere amorem.

§ 3. In praelectionibus ratio habeatur quaestionum, in quibus theologi orientales dissidentes a catholicis discrepant.

§ 4. Alumnis tradantur argumenta et praesidia, quibus sectarum commenta et impiorum conatus vincere possint.

Decr. 134. Clero salus et prosperitas proprii Seminarii sit maximae curae. Necessitatibus eius clerus pro posse subvenire studeat, eleemosynis et legatis illi succurrat ac beneficentiae fidelium commendet.

Decr. 135. Parochi et magistri religionis obligatione tenentur, non solum interrogati, sed ultro quoque, graviter eorum onerata conscientia, praebendi Episcopo certas ac veras informationes de illis, qui ad statum clericalem aspirant.

Caput XIV

De bonis Ecclesiae temporalibus.

Decr. 136. Bona temporalia personarum moralium ecclesiasticarum administrentur ad normam iuris canonici et dioecesani.

Decr. 137. Episcopus potest in personam moralem ecclesiasticam praeter alia erigere:

a) nosocomia ecclesiastica sive saecularia sive religiosa, orphanotrophica, instituta ad opera caritatis destinata, infantum asyla, institutum, quod nomine „Caritas” venit, eiusque sectiones; item associationes, quae fidei propagandae inserviunt, opera misericordiae tum quoad animam tum quoad corpus exercent aut alios fines religionis et pietatis prosequantur;

b) Primarium Actionis Catholicae Institutum, eiusdemque Actionis Catholicae Instituta Dioecesana et associationes Actionis catholicae.

Decr. 138. § 1. Onus construendi, conservandi et reficiendi ecclesias ceterasque aedes paroeciales incumbit, ad normam iuris canonici, concordatarii et dioecesani, patronis, parochianis aliisque, qui legitimo titulo, sive publico sive privato, obligatione tenentur expensas ex toto vel ex parte solvendi.

§ 2. Eidem fini praeterea inservit, ad normam Concordati, specialis pecuniae summa ecclesiarum fabricis destinata.

Decr. 139. Beneficiarius minores reparationes bonorum et beneficii domus perficere debet et, si negligens aliove modo in culpa sit, damna quoque reparandi obligatione tenetur.

Decr. 140. Episcopi curent ut saltem semel per annum omnium fundorum et arcarum ecclesiasticarum rationes percenseantur et expendantur.

Decr. 141. § 1. Parochi aliique beneficiarii non nisi de consensu Episcopi domum paroecialem aliasque aedes ecclesiasticas et beneficiales, sive ex integro sive ex parte, locare possunt.

§ 2. Ut hortos agrosque ecclesiasticos vel beneficiales ultra annum vel acatholicis locari liceat, requiritur licentia Episcopi.

Decr. 142. § 1. Sine Episcopi venia nemini licet suscipere quamlibet extruccionem, immutationem aut restaurationem ecclesiae aut oratorii vel quidpiam, quod maioris sit momenti, mutare in domo paroeciali aliisque aedibus ecclesiasticis vel beneficialibus.

§ 2. In hisce operibus perficiendis accurate serventur praescripta iuris canonici, concordatarii et civilis hac de re edita.

Decr. 143. Restaurare, immutare, amovere res, quae internum apparatus ecclesiae aut oratorii concernunt, quaeque valorem historicum habent aut arte praestant, uti sunt altaria et imagines antiquae, statuae, monumenta, suggestus sacri aliaque similia, non licet sine venia Episcopi, qui hanc dabit, audita Commissione, de qua in art. XIV Concordati¹⁾.

Decr. 144. § 1. Quaestuantibus quilibet, tam laici quam clerici et religiosi, ad fines ecclesiasticos piove stipem collecturi, ne sub ullo praetextu admittantur aut eleemosynis donentur, nisi constiterit et de eorum facultate legitima quaestuandi ad normam can. 621, 622 et 1503²⁾, et de eorum personae identitate per imaginem arte photographica expressam.

¹⁾ Art. XIV Concordati d. 10. II. 1925: Dans chaque diocèse sera formée une commission nommée par l'Evêque d'accord avec le Ministre compétent, pour la conservation dans les églises et les locaux ecclésiastiques d'antiquités, d'œuvres d'art, de documents d'archives et de manuscrits, possédant une valeur historique ou artistique.

²⁾ Can. 621 § 1. Regulares, qui ex instituto mendicantes vocantur et sunt, eleemosynas in dioecesi, ubi eorum religiosa domus est constituta, quaerere valent de sola Superiorum suorum licentia; extra dioecesim vero indigent praeterea licentia scripto data ab Ordinario loci in quo eleemosynas colligere cupiunt.

§ 2. Hanc licentiam Ordinarii locorum, praecipue dioecesium finitimarum, nisi gravibus et urgentibus de causis, ne denegent neve revocent, si religiosa

§ 2. Quaestuantes, qui conditionibus § 1 expressis non satisfecerint, Episcopo sine mora denuntientur.

Decr. 145. § 1. Concilium Plenarium Episcopos monet ut in archivis et museis dioecesanis asservari curent libros, documenta aliaque monumenta seu obiecta, quae per paroecias dispersa facile corrumpi aut interire possent.

§ 2. Archivis, bibliothecis et museis diligens cura impendatur et, quae ampliora sunt, viris doctis pateant.

Decr. 146. Praescripta art. 143 et 145 § 2 valent etiam de ecclesiis et monumentis, quae propria sunt religiosorum.

Caput XV

De iudiciis ecclesiasticis.

Decr. 147. In iudices aliosque tribunalis ministros eligantur sacerdotes, qui sint in iure versati et in praxi iudiciali periti.

Decr. 148. § 1. Episcopus ne approbet advocatos in foro ecclesiastico nisi ad tempus determinatum.

domus ex mendicatione in sola dioecesi, in qua est constituta, vivere nullo modo possit.

Can. 622 § 1. Alii omnes religiosi Congregationum iuris pontificii, sine peculiari Sanctae Sedis privilegio, stipem petere prohibentur; quibus, si hoc privilegium impetraverint, opus erit praeterea licentia scripto data ab Ordinario loci, nisi aliter in ipso privilegio cautum fuerit.

§ 2. Religiosi Congregationum iuris dioecesani stipem quaeritare nequam possunt sine licentia scripto data tum ab Ordinario loci in quo sita est eorum domus, tum ab Ordinario loci in quo stipem quaerere cupiunt.

§ 3. Religiosis, de quibus in §§ 1 et 2 huius canonis, Ordinarii locorum licentiam quaeritandae stipis ne concedant, praesertim ubi sunt conventus regularium nomine et re mendicantium, nisi sibi constet de vera domus vel pii operis necessitate, cui alio modo occurri nequeat; quod si necessitati provideri possit stipe quaerenda intra locum seu districtum vel dioecesim in qua iidem commorantur, ampliorem licentiam ne largiantur.

§ 4. Sine authentico et recenti rescripto Sacrae Congregationis pro Ecclesia Orientali, Ordinarii latini nec sinant orientalem ullum cuiusvis ordinis et dignitatis in proprio territorio pecuniam colligere, nec suum subditum in orientales dioeceses ad eundem finem mittant.

Can. 1503. Salvis praescriptis can. 621-624, vetantur privati tam clerici quam laici sine Sedis Apostolicae aut proprii Ordinarii et Ordinarii loci licentia, in scriptis data, stipem cogere pro quolibet pio aut ecclesiastico instituto vel fine.

§ 2. Advocato, ad patrocinium partibus in iudicio ecclesiastico praestandum admissio, nefas est eodem munere in tribunalibus acatholicis fungi.

§ 3. Advocati, ex decreto iudicis, causas pauperum gratis agendas suscipere debent.

Decr. 149. § 1. Versio actorum iudicialium, quae ad tribunaalia Sanctae Sedis mittenda sunt, ab illo tribunali perficienda est, coram quo acta ipsa exarata sunt.

§ 2. Causae de praesumpta morte coniugis ab illo tribunali illave Curia dioecesana cognoscendae et definiendae sunt, cuius est videre de statu libero sponsorum, qui novum matrimonium contrahere intendunt.

Decr. 150. § 1. Episcopi curent ut causae in suis tribunalibus tempore a iure statuto cognoscantur, nec differantur vel procrastinentur.

§ 2. Tribunalia ecclesiastica debent mutuum sibi praestare auxilium et acta ab aliis Curiis requisita sine mora expedire.

Decr. 151. Intra annum a promulgatione decretorum huius Concilii Plenarii statuatur in omnibus et singulis provinciis ecclesiasticis ad normam can. 1909 § 1 notula taxarum, quae pro expensis iudicialibus aut pro advocatorum opera a partibus solvendae sint¹⁾, quaeque moderatae esse debent, praesertim in rebus matrimonialibus.

¹⁾ Can. 1909 § 1. Concilii provincialis, vel conventus Episcoporum est taxarum notulam ac regulam statuere in qua praefiniatur quid partes debeant pro expensis iudicialibus; quae sit retributio pro advocatorum et procuratorum opera a partibus solvenda; quae mercedis mensura pro versionibus et transcriptionibus; pro his examinandis et fide facienda de earum fidelitate; itemque pro exscribendis ex archivo documentis.